

cit. Ac reipsa se potestatem illam accepisse, passim testabantur Apostoli. Inde enim inquit Paulus Act. 20. 28. *In quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Cum leges daret: *Hoc autem præcipio.* 1. Cor. 2. 35. *Cætera, cum venero, disponam.* ibid. ac passim alibi de quo plura vide Tr. de Legibus. Ac quoniam rempublicam illam sacram, Ecclesiam suam Christus non ad suam duntaxat, ac Apostolorum ætatem, sed ad mundi usque finem perdurare voluit, regitiva illa potestas ad Apostolorum successores transire debuit. Vel, si Christus tunc aliam induci formam in Ecclesiam voluit, ostendant adversarii, ubi voluerit. Certe Episcopi illi Actor. 20. cit. qui jam in munere pastorali succedebant Apostolis, regitivam illam potestatem a Spiritu sancto acceperant, quidni similiter alii?

ARTICULUS III.

AD QUEM PERTINEAT JUS INSTITUENDI MINISTROS ECCLESIE?

30. *Nota.* Sub generali *institutionis* nomine tria hic veniunt: electio, ordinatio, vocatio sive missio. Electio est certæ personæ ad præfecturam Ecclesiæ designatio. Ordinatio sacer ille ritus est, quo ministri consecrantur, iisque exercendi functiones sacras in Ecclesia potestas confertur, ut dum inungitur et consecratur Episcopus vel Sacerdos. Missio sive vocatio jurisdictionem confert, reque ipsa et actu Pastorem et Præsulem facit. Est igitur celeberrima controversia Catholicos inter et Novatores ultimos, penes quem jus illud resideat ministros Ecclesiæ, pastores præsertim Episcopos ita instituendi? Jus *ordinandi* ex lege divina Christi solis Episcopis competere dicetur infra, ubi de ministro Ordinis. Pariter non esse populi alteriusve, sed Episcoporum, maxime summi Pontificis *vocare* sive *mittere* ministros, ex iis abunde constat, quibus tum Tr. de Princip. Theol., tum Tr. de Legib. demonstratum, ecclesiasticam jurisdictionem non esse in ipso cœtu fidelium, sed principaliter in Romano Pontifice D. Petri successore, deinde in Episcopis; sed et colligetur ex sequentibus, quibus demonstrabimus, electionem ministrorum populo haud competere, ex quo majori certe ratione sequitur, vocationem seu missionem ad eundem non pertinere. Solum igitur hic in controversiam venit: an electio ministrorum, etiam ad populum, et quidem jure divino pertineat? Dixi *jure divino*: nam et populo et cæteris ex laicorum ordine posse *jure humano*, concessione Ecclesiæ, uti jus præsentandi, nominandi, sic et eligendi convenire, facile concedunt Catholicis.

Duplex vero circa hanc controversiam occurrit Novatorum error. Primus Joannis Wicleffi et Joannis Huss, docentium, teste Thoma Waldensi L. 2. Doct. fidei. c. 39. Dei solius munus esse eligere Pastores Ecclesiæ, quod soli pii et prædestinati esse possint Pastores et Episcopi, solus vero Deus noverit, qui pii et prædestinati sint. Colligitur hic eorum error amplius ex Conc. Constantiensi, quod Sess. 8. damnat hunc articulum Wicleffi octavum: *Si Papa sit præscitus et malus, non habet potestatem super fideles*, et hunc quadragesimum: *Electio Papæ a Cardinalibus per diabolum est introducta*: tum Sess. 13. hunc Joannis Huss 22. *Papa, vel Prælatas malus et præscitus*

est æquivoco Pastor: ac 26. qui ex priore deducitur: *Non eo ipso quo electores, vel major pars eorum consenserit viva voce secundum ritus hominum in personam aliquam, eo ipso illa persona est legitime electa. Unde sive electores bene, vel male egerint, operibus electi debemus credere.*

Alter est Lutheri L. de potestate Papæ, item Calvini L. 4. Instit. cap. 3. §. 15. tum quorundam Protestantium hodie, totam ministrorum institutionem jure divino ad Ecclesiam universam, hoc est, clerum et populum pertinere volentium, adeo ut sine populi consensu ac suffragio nemo legitime electus, aut vocatus censendus sit. *Hunc ritum*, inquit Lutherus L. cit. *per multas epistolas Cyprianus commemorat, semper suffragium populi, et judicium propinquorum Episcoporum ita allegans, ut hanc ex Deo ordinationem esse cum fiducia pronunciet.* Calvinus in eundem sonum concinit cit. loc. *Habemus esse hanc regulam, ex verbo Dei ministri vocationem, ubi ex populi consensu et approbatione creantur, qui visi fuerint idonei; præesse autem debere electioni alios Pastores, ne quid vel per levitatem, vel per mala studia, vel per tumultum a multitudine peccetur.* A quibus tamen eatenus recessit potior hodie Protestantium pars, ut principibus omnem sicut regionis, ita religionis, ac in specie constituendorum ministrorum curam vindicet, sive quod populus jus hoc transtulerit in principes, ut sic tamen adhuc suo modo eligantur ex consensu populi, ut alii rursus cum Pfaffio volunt: sive quod jus hoc pars sit juris majestatici, illive inhæreat, ut iterum alii sentiunt, ut vides in relato eorum systemate n. 8.

At contra tuentur consensione unanimi Catholicis omnes, jus eligendi ministros Ecclesiæ *ex jure divino* prorsus non pertinere ad populum, neque ad principes; sed quidquid juris in electione Episcoporum habuerunt, vel adhuc possident, ex Ecclesiæ, vel summi Pontificis concessione esse unice derivandum. Proin

31. *Dico I.* Electio Ministrorum Ecclesiæ non fit a solo Deo. Contra Wicleff. et Huss.

Prob. I. Auctoritate Scripturæ S. ex qua constat, ab ipso Christo electum fuisse Judam, Joan. 6. qui tamen minime e numero prædestinatorum fuit: *nonne*, inquit Christus, *ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est?* quæ Christi sententia unice Judam ferit.

Prob. II. Auctoritate Patrum e quibus sequentes delibare sufficit. Ac primo ORIGENES hom. 4. in Lib. Jud. (opp. t. 2. p. 466. 467.) pluribus commonstrat, non raro providentiam divinam ad puniendam peccata efficere, ut impii non regnis modo, sed etiam Ecclesiis regendis præsent. S. CHRYSOST. hom. ult. in epist. ad Hebr. (opp. t. 12. p. 311. et seqq.) S. AUGUSTINUS Lib. 2. c. 4. contra epist. Parmen. S. BERNARD. serm. 66. in Cant. velut data opera, docent, etiam pravos, si modo legitime eligantur, veros esse Episcopos, idque amplius Bernardus (opp. t. 1. p. 1498. D.) confirmat argumento a Caipha desumpto, qui verus fuit Pontifex, tametsi reprobis; cum ejus Pontificatus gratia ipsi daretur a Deo, ut prophetaret, Joan. 11.

Prob. III. Ratione. Si solus Deus per se Pastores eligeret, nesciremus, quinam veri essent Pastores, possetque quilibet ambitiosus se a Deo electum jactare, non sine perturbatione Ecclesiæ; sicque talis electio nihil prorsus prodesset.

Nec dici potest, Deum signo aliquo externo se declaraturum, quem ipse elegerit; vel rem posse sortibus committi, ut S. Mathiæ electio Actor. 4.

Nam 1^o. signa illa externa, quæ non sine prodigio fierent, licet aliquando contigerint, rarissima fuerunt; neque talia cernuntur amplius. 2^o. Nusquam se Deus promissione sua ad talia edenda signa obligavit; ergo non nisi temere et stolide expectantur in quavis electione. 3^o. Nec sortibus uti licet, si res humano consilio peragi potest; nam, ut merito observat Bellarmin. Controv. de Cler. cap. 5. sortes illæ credantur regi vel a casu, vel diabolo, vel Deo. Si primum: pessime sane tantum negotium, unde salus pendet Ecclesiæ, committeretur fortunæ temeritati, quod melius maturitate consilii terminari potest. Si secundum: per se constat, impium esse et sacrilegum. Si tertium: peccatum committeretur tentationis Dei, expetendo, vel expectando a Deo, ut ipse sortes temperet, cum id se facturum nusquam pollicitus sit, atque humano consilio res sufficienter peragi possit. Quare rationem eligendi Præsules sortibus merito reprobavit Ecclesia, c. *Ecclesia*, extra de sortilegiis.

Ad exemplum S. Mathiæ 1^o. non satis constat, an proprie dictæ sortes fuerint; vel non potius cæleste lumen aliquod, ut putat S. Dionysius Areopag. de Eccl. Hier. c. 5. (opp. t. 1. p. 238. C. D.) 2^o. Permisso, quod proprie sortes fuerint, iis Apostoli ex singulari inspiratione divina usi sunt. Omnino enim præsumi potest, Christum, ut cæteros Apostolos, atque post Ascensionem suam Paulum et Barnabam ipse elegerat, sic et tali modo eligere Mathiam voluisse, ne reliquis videretur minor. Sed factum hoc extraordinarium trahi non potest in eligendi regulam, inquit Hieron. in c. 1. Jonæ, sicut neque electio Pauli et Barnabæ. 3^o. Vel si citra peculiarem inspirationem hoc modo eligendi usi essent Apostoli, nihil hoc prodest adversariis; pares enim sanctitate et doctrina videbantur Mathias et Barsabas, ut discerni non posset, uter altero esset dignior; quo casu licitus per se sortium usus est; tum quia eo casu non tentatur Deus, cum ab homine res discerni nequeat; et tum maxime, quod, uter ex æqualiter dignis sorte vincat, nemini inde periculum et damnum nascatur.

32. *Dico II.* Jus eligendi tam summum Pontificem, quam cæteros Ecclesiæ pastores et ministros neque populo, neque principibus jure divino convenit; sed si quid ea in re potuerint aliquando, vel possint adhuc, id vel ex conniventia, vel concessione Ecclesiæ aut Pontificum ortum.

Prob. I. Ex SCRIPTURA S. multiplici argumento. 1^o. Ex verbis Christi Joan. 20. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*; h. e. volo, ut vos Apostoli (hos enim alloquitur) eadem ratione et potestate gubernetis Ecclesiam, ac ministros alios mittatis, sicut ego missus sum, et ego mitto vos: atqui imprimis Christus solius voluntate Patris missus fuit; ipseque Apostolos elegit independentem a consilio, suffragio, consensu populi et principum; sic et eadem cum independentia collegit discipulos alios 72. Quod vero cit. loc. ad Apostolos dixit, ad eorum successores, Prælatos Ecclesiæ pertinet ex ratione jam data art. præc.

Neque dicas: Si, ut ex citato textu sequitur, electio ministrorum Ecclesiæ jure divino pertineat ad Prælatos Ecclesiæ; ergo contra jus divinum sæpe multumque peccasset Ecclesia, in electionibus ministrorum expetendo vel

consensum, vel suffragia plebis ac principum. Nam *N. illatum*. Ex relatis enim Christi verbis illud solum habetur, jus eligendi ministros pertinere jure divino ad Apostolos, eorumque successores Prælatos; non vero istud: ergo *jure divino*, vel vi præcepti divini excluduntur laici a ferendo vel consensu, vel suffragio; ab hoc enim in textu abstrahitur. Sed cum eo loco amplissima potestas concedatur Apostolis circa regimen Ecclesiæ; nec parte alia excipiatur facultas adhibendi in electionibus laicos, sequitur potuisse, uti Apostolos, sic postea Ecclesiam, pro varietate circumstantiarum vel temporis adhibere laicorum suffragia, vel non.

2^o. Quia, ut id Apostolus probet, ad exemplum Aaronis provocat, Hebr. 5. 4. inquit: *Nemo sibi honorem sumit, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron*. Atqui Aaron a Deo per Moysen duntaxat, citra populi consensum et consilium sacerdos institutus fuit Levit. 8. sicut et ministri cæteri Exod. 18.

3^o. Ex jure divino scripto Episcopi sunt Pastores, reliqui in laico ordine sunt oves 1. Petr. 5. 2. *Pascite, qui in vobis est gregem*. Et Act. 20. 28. *Attendite vobis et universo gregi*, etc. At gregi non convenit, ut pascat et regat, sed regatur pascaturque; ergo neque ut eligat Pastorem; eligere enim Pastores indubie ad regimen pertinet, actusque jurisdictionis est.

33. *Si ais*: Etiam in republica civili cives dicuntur oves; reges vero pastores, ac nihilominus electio regis ad cives vel populum pertinet; ergo idem dici potest de Ecclesia, quæ non solum formam gregis vel ovilis, sed et reipublicæ gerit.

R. N. Cons. Etsi Ecclesia sit etiam respublica, scilicet sacra, magna tamen hanc inter et politicam disparitas est; nam 1^o. in politica omnes nascuntur naturaliter liberi; ac proinde plebs immediate politicam potestatem habet, donec eam in principem quemdam transferat: at respublica Christiana similem libertatem nascens non habuit; cum ipsa enim natus est Pastor ejus, ut hic illi sit cœtaneus; Christus enim simul Ecclesiam condidit, eique Petrum præfecit. 2^o. In politica republica tunc rex eligitur, quando deest, qui regat; Ecclesia vero nunquam rege caret; cum Christus sit *semper vivens* Hebr. 7. 25. et Ps. 109. ac deinde semper alii sunt in Ecclesia Episcopi, qui eligere et creare Pastores novos possint independentem a plebe et principe, vel magistratu.

34. *Prob. II.* Ex TRADITIONE, quæ relucet, et quidem maxime

1^o. *Ex ipsorummet Apostolorum factis*, qui passim eligebant Episcopos sine suffragio tam populi, quam principum et magistratum, ut tum vel ex eo constat, quod creatos a se Episcopos sæpe ad absentes et infideles populos mitterent; tum ex omni Ecclesiastica historia. Sic Joannem Apostolum finitimis Ephesinæ Ecclesiæ provinciis dedisse Episcopos, solo Spiritus sancti instinctu, sine populi vel magistratum suffragiis, inquit CLEMENS Alexandr. apud Eusebium hist. Eccl. L. 3. c. 23. *Joannes*, inquit, *ad finitimas quoque provincias rogatus se contulit, partim ut Episcopos constitueret κατὰ τήσων, partim Ecclesias formaret... homines sibi a divino Spiritu indicatos in clerum quemdam seu sortem Domini seponeret*. Ab eodem Joanne Smyrnæorum Ecclesiæ Polycarpum datum fuisse, Tertullianus scribit de Præscript. cap. 32. Nec dissentit Irenæus, qui ab Apostolis episcopatum acce-

pisse ait apud Eusebium hist. Eccl. L. 4. c. 14. vers. Valesii; ut proin nihil tribui possit spuris Polycarpi Actis, quæ illum a Bucolo Smyrnesium Ecclesiæ præfectum dicunt, de quibus vide Cardin. Gotti Tom. 5. de Christi et Apostolorum discipulis c. 9. Alexandrinæ Ecclesiæ primum Episcopum a S. Petro datum esse S. Marcum Evangelistam, habetur ex Eusebio Hist. Eccl. L. 2. c. 16. Gelasio, Decr. de Libris apocryphis apud Baronium ad an. 45. aliisque ab eod. cit., nemine hactenus, quod sciam, contradicente. Antiochenam Ecclesiam S. Ignatio M. regendam traditam fuisse ab Apostolis, consentiunt Scriptores veteres. Auctor Constit. Apostolic. a S. Petro quidem Evodium, a S. Paulo autem Ignatium illi Ecclesiæ præfectum ait L. 7. c. 46. quod ita intelligendum, quod Evodio ante Petrum defuncto, ei in sede successus a Paulo fuerit Ignatius, ut ait Eusebius hist. Eccl. L. 3. c. 22. Plura id genus in eod. Eusebio lege L. cit. c. 37. Demum, ne plura referam, singula egregie confirmat S. Clemens I. in epist. 1. ad Corinthios omnium consensu genuina, dum inquit (Lab. t. 1. p. 150. B.): *Prædicantes igitur (Apostoli) per regiones ac urbes, primitias eorum spiritu cum probassent, in Episcopos et Diaconos eorum, qui credituri erant, constituerunt.*

Respondent adversarii Episcopos, qui ab Apostolis missi ad absentes populos, electos simul fuisse a populo ejus loci, in quo ordinabantur, et ex quo mittebantur. Sed contra est 1º. quod id nullo prorsus nitatur fundamento, cum ne unum afferre possint, qui de eo testetur. Unde igitur id probant adversarii? 2º. Quo jure populus unus eligere potest Episcopum populi alterius? præsertim cum ideo electionem Episcopi jure divino velint pertinere ad populum, ne populus Pastorem accipiat, quem nec novit, nec vult?

35. 2º. *Ex Patrum aliorumque testimoniis, qui posterius floruerunt. Sic Frumentium quemdam a S. Athanasio Indorum creatum Episcopum, ipsis Indis nihil ea de re cogitantibus tradit Ruffinus L. 10. Histor. c. 9. In Ecclesia Alexandrina a D. Marci tempore Episcopos a clericis solis electos fuisse refert S. Hieron. epist. ad Evangelum 83. (al. 146.): Alexandriæ, inquit, a Marco Evangelista usque ad Heraclam et Dionysium Episcopos Presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant. Paulinianum D. Hieronymi fratrem a S. Epiphano creatum Presbyterum, et ultro missum ad monachos, his nihil tale opinantibus, ut apud hos sacerdotii fungeretur muneribus, ipse narrat Epiphanius epist. ad Joannem Hierosolymitanum (opp. t. 2. p. 312.). S. Augustinus monachus a divo Gregorio designatus est Episcopus sine Anglorum vel suffragio, vel postulatione ulla, ut patet ex Beda L. 1. de Histor. gentis Anglor. c. 23. et seqq. Ita et S. Bonifacius a Gregorio Papa ejus nominis II. Episcopus creatus et missus ad Germanos est, ipsis Germanis nihil de eo cogitantibus.*

36. 3º. *Ex Conciliis. E quibus Laodicenum an. 370. Can. 13. (Lab. t. 1. p. 1498.) Non est, inquit, permittendum turbis electionem eorum facere, qui sunt ad sacerdotium promovendi. Ubi non id prohibetur tantum, ne solæ turbæ sine sacerdotibus, vel senioribus eligant, ut Calvinus fingit; id enim prohibere opus non erat, cum semper electionibus ejusmodi soliti essent interesse et sacerdotes, et clerici reliqui, sed, ne turbæ ipsæ omnino eligerent, Concilium prohibuit. Nicænum II. Can. 3. (Lab. t. 7. p. 598. B.)*

statuit, omnem electionem, quæ sit a magistratibus, Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi irritam manere. Oportet enim, qui est promovendus ad Episcopatum, ab Episcopis eligi. Constantinopolit. IV. inter generalia ordine VIII. etiam principes excludit laicos et magnates (Lab. t. 8. p. 1141. A. B.): Sancta et universalis Synodus..... definit, neminem laicorum principum vel potentum semet inserere electioni, vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitanæ, aut cujuslibet Episcopi; cum nullam in talibus potestatem quemlibet potentum vel cæterorum laicorum habere conveniat.

37. *Prob. III. RATIONE. 1º. De jure divino non est, quod, pro varietate temporis, varie mutavit Ecclesia; sed modum eligendi quoad suffragia, vel consensum populi, aut principum, varie mutavit Ecclesia; ergo hic modus de jure divino non est, ut populus, vel principes laici in electionibus ferant suffragia, vel dent consensum.*

Maj. apparet certa; jus enim divinum immutabile est, nec humanæ subest dispositioni; ipse enim Deus immutabilis est, dumque fert legem, ita eam format, ut intento fini in omnibus circumstantiis, quas singulas optime habet cognitatas, semper congruat; secus, ac se res habet in humanis legibus; aliunde vero constat, veram Ecclesiam, qualis Protestantium consensu tribus prioribus seculis et præsertim tempore Apostolorum fuit, in jure divino, quod dogma constituit fidei, errare non posse.

Min. patet ex historia Ecclesiastica ab ipsa Apostolorum ætate usque ad nostram; Apostoli enim Actor. 6. in electione septem Diaconorum expetebant suffragia multitudinis; at sæpissime pastores Episcopos sine ejus suffragiis creaverunt per se, ad exemplum Christi, qui ita ipsos elegerat Apostolos; ut patet ex dictis n. præc. Sec. III. testimonium petebatur a populo de vita et moribus præficiendi, ut de summis Pontificibus testatur Auctor Constit. Apostolic. item Lampridius in vita Alexandri Severi; de Episcopis ex ORIGENE, hom. 4. in Levit. Sec. IV. ex Conc. Nicæni I. sanctione can. 4. (Lab. t. 2. p. 30. E.) non ordinari solum, sed etiam eligi et constitui debebant Episcopi a comprovincialibus; alicubi tamen populo adhuc ad ferenda suffragia, seu rectius testimonia, admissio; quin eodem adhuc seculo ob populi tumultus, et dissensiones eligentium Episcopi indulgere Imperatoribus, ut dignam ipsi personam designarent, ut de designando Nectarii Constantinopolitani successore perhibet Palladius, vel quicumque demum auctor sit Dialogi de vita S. Chrysostomi (opp. t. 13. p. 17 et seqq.). Sec. V. et VI. in orientali et occidentali Ecclesia populorum suffragia postulari debebant, a quo modo sec. VII. recessit Ecclesia Gallicana, sicque post mutationes varias Episcoporum electio ad eam formam pervenit, quæ adhuc hodie non est eadem in regnis singulis, uti videmus; tum illa Rom. Pontificis electio tandem ad Cardinales devoluta est; ut proinde merito Tridentina Synodus reprobet doctrinam adversariorum Sess. 23. cap. 4. et damnet can. 7.

38. *Obj. I. Actor. 14. 22. ubi Vulgata habet: Et cum constituisent illis per singulas civitates presbyteros, versio Syriaca, Tigurina, Pagnini et Erasmi habet: Cum per suffragia elegissent, vel creassent presbyteros; græcum enim χειροτονήσαντες, significat, cum elegissent per suffragia; nam χειροτονέω,*

est quasi *χειρας τείνω*, sive manus attollo in signum suffragii, qui mos olim fuerat Græcorum ferendi suffragia.

R. 1^o. Etsi vox *chirotonia* inde ortum ducat, quod olim attollendo manus ferrent suffragia, ab ecclesiasticis tamen et sacris Scriptoribus sumi eam pro impositione manus ordinaria abunde probatum est in Proœmio. Igitur nihil ille textus favet adversariis.

R. 2^o. Etiam si *χειροτονεῖν* significaret eligere per suffragia; non tamen significat eligere per suffragia *ab aliis data*, sed eligere suffragio proprio, ut ex etymologia liquet, et auctorum usu. Ac revera τὸ *χειροτονήσαντες* non referri ad populum, sed Paulum et Barnabam, clamat tota Scripturæ sententia; de quibus enim ibid. dicitur: *Cum constituissent presbyteros*, de iisdem subditur: *Commendaverunt illos Domino, in quem crediderant*; sed hæc indubie solos Apostolos Paulum et Barnabam respiciunt.

39. *Inst.* 1. Sed Act. 6. 5. multitudo credentium elegit septem Diaconos; ergo populus habet aliquod jus eligendi. Item Act. 1. non soli Apostoli, sed tota Ecclesia elegit Mathiam et Bassabam, ut eorum alterum Deus assumeret.

Ad 1^{um}. R. D. *Ant.* Elegit ex concessione Apostolorum, ut S. Lucas aperte indicat C. vi juris divini N. *Ant. et Cons.* Id consulto permiserant Apostoli, ut tanto melius sedarent murmur exortum, et præcaverent futuro, si videlicet ii præessent mensis et distributionibus, quos fidelis populus ad hoc præ aliis elegisset. Eadem de causa aliquando Ecclesia in electionibus Episcoporum adhibuit suffragia et consensum populi, ut, quo gratior esset expetitus populi votis Episcopus, tanto huic promptius obediret; usque dum experientia doceret, quantis tumultibus, imo cædibus obnoxia esset popularis electio, ut videre est in S. Aug. epist. 110. et 225. (al. 213. et 126.) ubi turbulentissimam refert seditionem popularem in Piniani electione; item RUFFINO L. 11. Hist. (al. L. 2.) c. 11. et ante c. 10. commotionem narrans in S. Damasi electione coortam, qua 137. homines in templo necati, quod idem referunt Ammianus Marcellin. L. 27. et S. Hieron. in Chronico. Deinde exemplum hoc Apostolorum non probat jus divinum populi, vel secus ita constanter facere debuissent Apostoli, fecissentque sine dubio; at contrarium constat ex dictis.

Ad alterum R. 1^o. similiter cum S. Chrysostomo ad eum locum, id ex concessione Petri, non necessitate, exque divino jure factum. 2^o. Illa non tam electio fuit, quam postulatio, qua petebant a Deo eligi aliquem in Judæ locum. 3^o. Nequidem ex textu colligi clare potest, quinam hos duos *statuerint in medio?* quinam *sortes dederint?* cum tam ad Apostolos, quam populum trahi textus possit. 4^o. Demum *permissio*, quod populus hos duos selectos statuisset in medio, si ab hoc exemplo eruere velint jus divinum pro populo, cur non consequenter arguunt adversarii, esse pariter juris divini, ut electio committatur sortibus?

40. *Inst.* 2. At aliunde constat ex Scriptura Episcopos esse *ministros Ecclesie*, non dominos, 1. Cor. 3. 1. Petr. 5. Deinde de Ecclesia dicitur, quod sit columna et firmamentum veritatis 1. Tim. 3. Igitur suprema jurisdictio est penes Ecclesiam, non Episcopos, igitur et ipsa eligere et vocare ministros potest; is enim est jurisdictionis actus.

Ad 1^{um}. R. D. Sunt ministri Ecclesie, eo quod in officio subsint fidelibus; vel obediendo N. quia laborant in utilitatem fidelium; vel regendo Ecclesiam, illique præsidendo C. Sicut et rex dicitur servire regno, regendo videlicet illud, ejusque utilitatem procurando, sic et Pastores serviunt Ecclesie, ejusque ministri sunt; regendo illam Act. 20. *in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Item Hebr. 13.

Ad alterum R. D. Quia semper audit Petrum, vel Pastores suos cum capite Ecclesie Petri successore conjunctos C. secus N. Pro Petro Dominum orasse novimus, ne deficeret fides ejus. Hic jussus est immediate a Christo pascere agnos et oves, minime vero ullibi grex Petrum: pariter Episcopus scimus a Spiritu sancto positos regere Ecclesiam Dei, non ab Ecclesia; suprema igitur jurisdictio penes Petrum ejusque successorem est, et cum proportionem penes Episcopos; ergo et ministrorum electio atque vocatio.

41. *Inst.* 3. Si non est jure divino potestas penes populum suos eligendi Pastores, ad quid ergo præcipit Dominus Joan. 10. 5. non audire vocem alienorum? Matth. 7. 15. vitare falsos Prophetas? igitur vi divini præcepti debet Christianus populus eligere suos Pastores, ut veros possit discernere a falsis.

R. Vult quidem Christus populum discernere Prophetam verum a falso, at regula non alia, quam attendendo, an ille, qui prædicat, dicat contraria iis, quæ dicebantur ab antecessoribus, vel iis, quæ prædicantur a Pastoribus ordinariis aliis, præsertim a Sede Apostolica. Unde Paulus ad Gal. 1. vult anathematizari, qui docerent nova et contraria illis, quæ evangelizata sunt. Et vero, cum rudis sit populus, aliter de doctrina ejus, qui se Prophetam vel Pastorem venditat, judicare non potest; unde et populo Christus præcipit audire Pastores suos, Luc. 10. 16. *Qui vos audit, me audit.*

42. *Obj. II.* Auctoritatem Concil. generalis II. quod in epist. ad Damasum Papam teste THEODORETO L. 5. c. 9. (opp. t. 3. p. 717. C.) ait a se Nectarium Episcopum ordinatum esse *sub aspectu etiam Deo amabilis Imperatoris, universique cleri, cuncta decernente pariter civitate.* Item, Concilii Nicæni I. epist. ad Alexandrinos apud THEODORETUM L. 1. c. 9. (opp. t. 3. p. 547. D.) præcipientis ut in clerum eligantur, si videantur digni, *et populus eos elegerit, condecernente simul et designante maxime Alexandrinæ civitatis Episcopo.* Præterea S. LEONIS P. epist. 89. (al. 10. ad Episc. Viennensis provincie.) S. AMBROSII L. 10. epist. 82. tum aliorum, quos refert GRATIANUS dist. 23. 24. 62. 63. 65. et 8. q. 1. Can. *Licet.* Ergo.

R. N. *Cons.* Nam 1^o. citata loca nec verbulo innuunt, quod populo competat *jure divino* jus eligendi, de quo solo est controversia. 2^o. In plerisque, ut legenti apud Gratianum patebit, duntaxat fit mentio postulationis vel testimonii. 3^o. Quod sec. IV. ex cujus ætate plurima petita sunt, cœperint suffragia populi exosci, jam supra ipsi diximus, nemoque negat, elegisse aliquando et populum, sicut nunc in Hispania et Gallia reges; id autem ex jure divino neque factum olim, neque fit nunc, sed concessione Ecclesiastica. Vide Boetium de Regalibus et jure Principis in benefic. Eccles. cap. 76. et sequentibus.

43. *Inst.* At S. CYPRIANUS epist. ad clerum et plebes in Hispania de Basilide et Martiale propter libellorum idololatriam episcopatu dejectis scribens, ait hoc esse juris divini, ut populus eligat; ergo. *Prob. Ant.* Ait enim cit. loc. *Propter quod plebs obsequens præceptis Dominicis et Deum metuens a peccatore præposito separare se debet, nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere, quando ipsa maxime habeat potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi. Quod et ipsum videmus de divina auctoritate descendere, ut sacerdos plebe præsentate sub omnium oculis deligatur, et dignus atque idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur: Sicut in Numeris Dominus Moysi præcipit dicens: apprehende Aaron fratrem tuum, et Eleazarum filium ejus, et impones eos in montem coram omni Synagoga, et exue Aaron stolam ejus, et indue Eleazarum filium ejus, etc.* Ergo.

R. D. *Ant.* Tribuit populo maxime potestatem eligendi dignos per modum iudicis N. per modum testis, ferendo testimonium, ut ipse Cyprianus se explicat C. Hoc solum ex auctoritate divina descendere ait Cyprianus, ut quilibet ex populo ordinandi Episcopi, si qua noverit crimina forte occulta, quæ illum eo munere indignum redderent, detegere teneatur, et quoad hoc plebem maxime habere potestatem eligendi dignos, prædicando illorum merita, vel indignos recusandi, detegendo eorum crimina, ita ut, si ea sciret, nec detegeret, merito illi imputaretur indigni ad episcopatum electio. Minime vero vult Cyprianus, esse præcepti divini, ut populus, præter testimonium vitæ, etiam, more iudicum vel episcoporum, ferat suffragium. Ratio responsionis ex ipso Cypriano sumitur; nam 1º. ad probandum, quod dixerat, affert exemplum Eleazari; at hic certe non Synagoga vel populi suffragio, sed immediate divino imperio, Synagoga solum præsentate, constitutus est Pontifex. 2º. Quia proposito Eleazari exemplo, subdit: *Coram omni Synagoga jubet Deus constitui sacerdotem, id est, instruit, et ostendit, ordinationes sacerdotales, non nisi sub populi assistentis conscientia fieri debere, ut plebe præsentate vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, et sit ordinatio justa et legitima, etc.* Ac inferius: *Propter quod diligenter de divina traditione et apostolica observatione observandum est... ut ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant, et Episcopus deligatur, plebe præsentate, quæ singulorum vitam plenissime novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit.* Refert quidem etiam post Eleazari exemplum, electionem Mathiæ et septem Diaconorum, sed ad quæ jam responsum est, et præterquam quod Mathiæ electio principaliter sit peracta sortibus, hæc exempla tantum sunt, quæ nondum jus divinum constituunt, sed præcepta divina sunt, e quibus jus divinum nascitur.

44. *Nec dicant porro:* In Romana vero Ecclesia hoc ipsum examen et populi testimonium hodie non observatur amplius. Nam, quidquid sit de aliis regnis, in quibus etsi reges Episcopos nominent, non tamen sine inquisitione in dignitatem ac merita promovendi fit, in Germania, postquam jus eligendi ad solum clerum Cathedralem devenit, simul hic obligatione gravi tenetur, eligere eum, quem cæteris digniorem iudicat, atque hoc ipso in vitam moresque eligendorum inquirere, quo modo nomine diocesis digniorem seligit, et plebis supplet testimonium; idque melius; cum Canonici ex

magis familiari et quotidiana conversatione nosse possint dignitatem promovendi, quam dispersa plebs. Quod vero ministros inferiores attinet, præterquam quod ab ordinandis testimonia exigantur Academiarum de doctrina et moribus, præterea subire examen debent; ac porro ante ordinationem ipsam Archidiaconus ab Episcopo de ordinandis interrogatus: *Scis, illos dignos esse?* palam in Ecclesia, ac totius populi nomine fert testimonium.

Unde non premit Catholicos objectio; recte tamen Protestantes, qui plerique, quod *juris divini* tantopere alias prædicabant, ut populus eligeret, nunc penitus videntur contemnere; cum jus eligendi ferme singuli principibus asserant, alii quidem sic, ut Majestati intrinsecum, vel partem juris territorialis, qui putatitios Episcopos sine ullo plebis suffragio, neque semper cleri Cathedralis consensu, sine examine præficiunt; imò subin jure successionis hæreditario. Ita in episcopatu Osnabrugensi alternative ex Hannoveranis quis principibus succedit, juxta Instr. pacis Osnabrug. art. 13. In episcopatu Lubecensi ex pacto inito anno 1647. sex ordine Episcopi, aut Coadjutores eligendi sunt ex Gottorpiensi domo, de quibus vide Mascovii Princip. jur. publ. imper. Romano-Germanici L. 4. cap. 4. Hornii Jus publ. Prud. cap. 38. At qui hæc conveniunt, si *plebs jure divino* ipsa ferre debet suffragium? aut qua ratione Protestantes redarguere audent Catholicos?

CAPUT II.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

ARTICULUS I.

ORDINEM SACRAMENTUM ESSE DEMONSTRATUR.

45. *Nota I.* Appellatio ordinis nunc pressius accipitur pro certo gradu hominum, qui ad res sacras ac divinas destinati sunt. Ordo hic bifariam considerari potest, vel *active*, ut scholæ loquuntur, vel *passive*. Priori modo ipsamet est *ordinatio*, seu ritus, quo ministri consecrantur, eisque potestas exercendi actiones sacras, ad sacrificium et altaris ministerium spectantes tribuitur; posteriori modo est ipsa potestas, quæ confertur; et de hac sermonem hic non instituimus, sed de illa; quæ quidem communi definitione circumscribitur, quod sit *ritus sensibilis, quo traditur potestas consecrandi ac ministrandi corpus et sanguinem Christi, nec non sacerdotio ex officio inseriendi.*

Nota II. Lutherus L. de captiv. Babyl. cap. de Ordine, Illyricus cap. 11. Confess. Antuerpiensis, Kemnitiuss 2. part. Exam. sacram. ordinationem e numero sacramentorum expungunt. Philippus Melanchthon in locis communibus an. 1523. Argentorati procusis duo duntaxat sacramenta statuerat: at in posterioribus ejusdem operis editionibus, nec non in Apologia art. 3.